Dialectica
et Rhetorica

Micani (Stephani): Dialecticae et Rhetoricae praecepta.

Crac. Lazarus Andr. 1561.





DIALECTICAE ET RHETORICÆ PRÆCEPTA,

A' STEphano Micano Iuuene admodum, in vsum discipulorum suorum collecta:

Nunc uerò, opera Venerabilis Domini Magistri, Ioannis Casparis, Leopoliensis, in lucem edita.



CRACOVIÆ,
LAZARVS ANDREÆ
EXCVSSIT.
Anno uirginei partus,
M. D. LXI.



IOANNES CASPARIS LEOPOLIENSIS, IN ACADEMIA CRACOVIENSI PROFESSOR ARTIUM, STUDIOSO LECTORI, S. P.

PEropportunè profectò accidit optime Lector: vt dum ego Illuſtri & admiranda indole virtutis puero, Andreę Tenczynio, Illuſtris & Magnifici ANdreæ Comitis in Tęczyn, Palatini Lublineñ: filio, tenello illi quidem, ſed erga bonarum artium ſtudia flagrãtiſsimo, Dialectices aliquem guſtum proponere cogito: ecce mihi fortè fortuna incideret in manus, Libellus præceptorum Dialectices ſimul atq; Rhetorices, quæ Stephanus Micanus admodum adoleſcens, ſuorum

orum in gratiam diſcipulorum, dictarat. Quæ cùm viderem nõ ætati ſolum Illuſtris pueri, ſed etiam vtilitati tuæ multum conuenire ac conferre, quominus laterent amplius, ſub incudem dare non dubitaui: certò mihi perſuadẽs, vel ſola breuitate atqꝫ methodo, multum ſibi & authoritatis & commendationis apud omnes comparatura. Ego enim ita ſemper iudicaui, nihil eſſe ad formandos adoleſcentulos, ſuccincta PRæceptorum breuitate commodius, nihil ad maturiorem ſtudiorum fructum ocyùs comparandum, aptius. Difficile dictu eſſe, quantum moræ plerunqꝫ adferat feſtinatio, non ignoro: atqꝫ inter ſuccinctã docendi rationẽ, et intẽpeſtã feſtinationẽ ꝑmultũ intereſſe, te viciſsim

non i-

non ignorare puto. Fit plerunqꝫ vt qui ſit breuior, non ſit nõ obſcurior: verum ita eſt, mihi crede, Micanus breuitate perſpicuus, & perſpicuitate clarus, vt breuior an clarior fuerit, vix dum iudicare queas. Multorum lucubrationibus nihil detractum cupio, illud tamẽ affirmare auſim, prima Dialectices in adoleſcentioribus initia, ſi iacienda ſunt, non aliunde quàm ex his petenda eſſe. Quod quidem non difficulter commonſtrarem, ſi non res ipſa pro ſe diſertè ageret.

Fac igitur candide LEctor, vt dum fructum vberem ex breuioribus hiſce captas, gratitudine animi maiora à clariſsimo iuxtà quàm doctiſsimo nũc iam viro, elicere contendas. Hoc te mihi credere velim, nec laboris

 in per-

in perdiſcendis his pænitudo, nec te fructus capiet vnquam ſa- cietas. Vale, & noſtrum hunc in edendis alienis conatum, do- nec interim noſtra matureſcant, boni conſulas. Datæ Cracouiæ è Collegio Maiori, xx Menſis Martij. Anno 1561.

ANDREAS KOSTKA *IOANNI MVGOVIO, AMI- CO SVAVISSIMO, S. D.*

DIalectica & Rhetoricæ Præcepta, quæ habui à STephano MICano, Præce- ptore mihi amantiſsimo & fideliſsimo, collecta: ea tibi nunc mitto legenda & in- telligenda, ut agnoſceres nihil eſſe, quod non æquè expetam tibi ac mihi ipſi. Ar- ridebunt autem tibi hæc Præcepta, tum propter breuitatem, tum perſpicuitatem: quibus inſtructus, facilè uná mecum, ad altiora peruenire poſsis. VAle. Marien- burgi, xvij Augusti. Anno Do: M.D.xli.

Ad Stu-

AD STVDIOSAM IVVENTV- TEM IOANNIS MILII LIBEN- RODENSIS ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΝ.

CAllidus ambiguas extruxit Dædalus ædes,
E quibus egreſſum uix reperire datum eſt.
Has ſi fortè domos incautior iuit in amplas,
Haud reditus unquam ſpes fuit ulla uiro.
Ambages tot erant, tot erant flexusq; uiarum,
Et tot erat grauibus ſemita plena dolis.
Sed dux Cecropius ueniens Minois ad arces,
E Labyrinthæis fraudibus egit iter.
Namq; regens tenui ueſtigia plurima filo,
Per uarias potuit certus abire uias.
Sic quoq; structa chorus doctorũ tẽpla reliquit,
Multaq; prudentes ſcripta dedêre uiri.
Hæc ſi quando uelis cupidus monumenta ſubire,
Ambiguum dubia mente uidebis iter.
At ne te remoretur, inobſeruabilis error,
Fila tibi certo ſunt comitanda pede.
En tibi ſcriptores Dialectica ſola legenti,
E latebris faciles monſtrat ubiq; uias.
Hæc aditum reliquas operoſa recludit ad artes,
Falſaq; diſſoluens, uera uidere facit.
Hæc ſacra Pierij ſectantem præmia cœtus
Ducit, & ambages usq; cauere monet.
Ac tibi ne deſint iuuenis Præcepta, Micanus
Hoc pueris ſcribens, perbreue donat opus.
Vtere donatis, moneo, ſtudioſa iuuentus,
Et benè ſcribenti fauſta precare uiro.

AD LECTOREM LI- terarum auidum, æquumq́ꝫ Iudicem.

Vt capit à rapido Phœbe sua lumina sole:
Ac terris eadem fundere dona solet.
Sic quæ dat Phœbus, quæ donant munera Musæ,
Hæc alijs rudibus communicare decet.
Impius est, quisquis præstantia munera diuûm
Occultat propriis usibus illa fouens,
Sed quacunq; potest facilem ratione iuuentam
Pieridum donis, quisq; iuuare iuuet.
Sic nitidæ lumen doctrinæ crescet in orbe:
Fiet pro meritis gratia cuiq; suis.
Hoc equidem Stephanus rectè fecisse uidetur:
Cuius adornauit docta Minerua caput.
Erudijt teneram pubem iuuenilibus annis:
Et iuuit doctis inscia corda libris.
En etiam ueteris dantur monumenta laboris,
Præsentes libri, lector amice, tibi.
Hinc præcepta satis breuiter Dialectica quisq́;
Discere, perpulchram Rhetoricenq; potes.
Sis igitur gratus, nomen celebresq; Micani:
Qui ceu luna tibi lucida nocte micat.

Seb: Felstineñ.

DIALE-

DIALECTICÆ COMPEN- DIVM.



QVID EST DIALE- CTICA?

Dialectica, est Ars differendi. Differere est, ordine aliqua de re dicere. hoc est: Definire, Diuidere, & Argumentari.

CIRCA QVID VERSATVR DIALECTICA?

Dialectica versatur, circa voces Simplices & Compositas.

Simplex vox est, cum de vno aliquo vocabulo tractatur, vt Virtus, Deus, Homo.

Composita, est ipsa Propositio. vt, Virtus est summum bonum.

Simpli-

Simplices voces, Definitione et Diuisione explicantur. Compositę autem probantur aut improbantur, argumentando.

DIVISIO DIALECTICÆ.

Dialectica est duplex: Inueniendi & Iudicandi.

Inueniendi, quę monstrat locos è quibus Argumenta et materiæ dicendi sumuntur.

Iudicandi, quę tradit formam explorandi, inuentum argumentum, an membra rectè cohæreant, nec' ne.

Sed vt consequaris illa, opus est inprimis cognitione Prædicabilium & Prędicamentorum.

DE PRÆDICABILIBVS.

Quinq; sunt voces Prædicabiles, Quæ

les, Quę ideò sic vocantur, quòd vna vox de alia prædicatur.

EXEMPLVM.

☞ Genus, est nomen commune, quod prædicatur de multis speciebus, in, quid est. Vt Animal, de Homine, Lupo, Vrso, prædicatur in quid est: Nam dico, Quid Homo? Est Animal. Quid Lupus? Animal.

☞ Species, est vox, quæ de Indiuiduis prædicatur, vt Homò, de Petro, Paulo.

Indiuiduum autē dicitur, Nomen proprium.

☞ Differentia, est propria rei nota, vt Homo à Lupo, propria differt nota, nempè ratione.

☞ Proprium, quod vni soli alicui & vniuersæ speciei competit, vt Homini numerare.

☞ Accidens eſt, quod adeſt & abeſt alicui ſubiecto præter eius corruptionem. vt, Albedo po-teſt tolli à pariete prẹter eius in-teritum.

EXPLICATIO PRÆDICA-BILIVM.

Genus eſt duplex. Generaliſsi-mum ſiue Supremum, quo non eſt aliud vocabulum communi-us, ſicut ſunt, decem Prædica-menta: Subſtantia, Quantitas, Qualitas, &c̄.

Subalternum ſiue Intermedi-um, quod diuerſo reſpectu, aliâs Genus, aliâs Species vocatur. Nã reſpectu inferioris eſt Genus, re-ſpectu ſuperioris eſt Species. Vt Animal, cùm refertur ad homi-nem, eſt Genus: cùm refertur ad animatum corpus, fit Species.

Species

Species autem Infima & proxi-ma Indiuiduis, vocatur Species ſpecialiſsima, vt hic Homo.

Species autem Simplex eſt, quæ poteſt eſſe Genus & Spe-cies.

Differentia eſt quædam Com-munis, quæ non exactè diſcernit Speciem à cognatis, vt bipedem eſſe, eſt differentia generalis ho-minis.

Eſt etiam Specialis differen-tia, quæ exactè & propriè Spe-ciem diſcernit ab alijs omnibus, vt Rationale diſcernit hominẽ à cœteris animantibus.

Proprium dicitur Quatuor mo-dis. Primo, quod ſoli ſed non o-mni conuenit, vt Homini eſſe Medicum.

Secundo, quod omni ſed nõ

ſoli

ſoli conuenit, vt Homini procreatio.

Tertio, Quod omni & ſoli ſed non ſemper conuenit, vt caneſcere, conuenit omni & ſoli homini, ſed non ſemper.

Quarto, Quod omni, ſoli, & ſemper conuenit, vt Homini ridere.

APPENDIX.

Proprium & Differentia, communi conſuetudine pro eodem vſurpantur, vt Sermo in homine, aliâs Proprium, aliâs Differentia dicitur: hoc tamen differunt, quòd Proprium ſignificat propriam paſsionem, vt ſingulæ voces, ſingulorum animantium: Differētia verò partem.

Accidens duplex eſt: Separabile, vt Calor, Frigus in corpore:

Læti-

prędicari, Differētiam cum Specie cognatam eſſe. Sic in Prædicamentis Generum, Specierum et Differentiarum, ordines & gradus notandi ſunt.

DECEM IGITVR SVNT PRÆDICAMENTA.

Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Adaliquid, Actio, Paſsio, Vbi, Quando, Situs, Habitus. Eſt quoddam etiam vocabulū communiſsimū, quod vocatur Ens, ſiue Res, aut Tranſcendens, ideò quòd tranſcendit omnia iſta decem Prædicamenta. Et hoc diuiditur in Subſtantiam & Accidens: Primum Prædicamentum continet Subſtantias, Reliqua nouem, ſunt ordines Accidentium, vt patebit.

QVID EST SVBSTANTIA?

Subſtan-

Subſtantia eſt res, quę per ſe ſubſiſtit, etiam ſi illi nullum accidẽs accedat, vt Homo manet etiam ſi nunquã albeſcat aut nigreſcat.

SEQVITVR CLASSIS SVBSTANTIARVM.

Genus Generaliſsimum.

	Corporea	Subſtantia	ĩcorporea	
	Simplex	Corpus	Mixtum.	
Diffe-	Animatũ	Corp: mixtũ	Inaniatũ.	Diffe-
rẽtiæ	Sentiens	Cor: aniatũ	Nõ ſentiẽs	rẽtiæ
	rõepreditũ	Animal	exps rõnis	
	Plato,	Homo.	Ariſtoteles	

Species ſpecialiſsima.

QVID EST QVANTITAS?

Quantitas, qua res reddiť menſurabilis, vel ſecundum magnitudinem, vel multitudinem.

QVANTITAS EST DVPLEX.

Continua, eſt magnitudo, cuius partes cohærent communi termino,

mino, vt columna. Diſcreta, eſt multitudo, cuius partes non cohærent, vt in numero, 1 2 3 4 hîc partes non cohærent.

SPECIES CONTINVÆ QVANTITATIS SVNT TRES.

Linea, eſt cùm longitudo tantum concpitur.

Superficies, eſt longitudo & latitudo.

Corpus, eſt longitudo cum latitudine & profunditate.

OBIECTIO.

Cur numeras corpus in Quantitatem cùm ſit Subſtantia?

RESPONSIO.

Corpus dupliciter conſideratur, Phiſicè & Mathematicè. Corpus Phiſicum eſt Subſtãtia, at Corpus Mathematicum eſt Quantitas: cùm ſczt tantum longitu-

gitudo, latitudo, & craſsitudo conſideratur.

SPECIES DISCRETÆ QVANTITATIS SVNT DVÆ.

Vna Numerus, altera Oratio, quatenus pronuntiando ſczt ſyllabę longę et breues diſcernunt.

IN HOC PRÆDICAMENTVM menſuræ liquidorum et aridorum ſunt referendæ.

Aridorum.	*Modius. Semimodius. Septarius. Cyathus.*	*Liquidorum.*	*Amphora. Vrna. Quartarius*

Et menſuræ etiam Geometricę, vt pes, paſſus, cubitus, mille paſſus, miliare.

QVID EST QVALITAS?

Qualitas eſt, qua res quales eſſe dicuntur, vt, Albedine eſt albus, bonitate bonus.

Species

SPECIES QVALITATIS EST QVADRVPLEX.

☞ Prima eſt Habitus et diſpoſitio, quæ differunt:

Habitus eſt qualitas animi vel corporis, longo vſu comprobata, qua ad agendum prõptiores et certiores reddimur, vt ars bene dicendi, ſaltandi.

Diſpoſitio autem eſt, ad rem aliquam affectio, ſed nondum longo vſu & tempore corroborata.

APPENDIX.

Habitus mentis, aut eſt in intellectu, aut in voluntate. In intellectu ſunt omnes artes & ſcientiæ. In voluntate ſunt virtutes et vitia.

☞ Secunda Species naturalis facultas ſeu potentia, & impo-

ten-

tentia naturalis, hæc dicitur, qua quis natura reluctante, aliquid agere conatur, illa verò est ad rem aliquam propensior.

VTRAQVE EST DVPLEX.

Animi, vt docilis, indocilis: memor, immemor, sæuus, mitis, placidus.

Corporis, vt robur, velocitas, duricies, segnitia, alacritas, venaticus. &c̃.

☞ Tertia Species, passio seu affectus, & est auersa à recta ratione contra naturam animi commotio, vt leticia, dolor, spes, motus, amor, ira, odium.

HIC AFFECTVS EST DVPLEX.

Animi scilicet & Corporis.

ANIMI EST DVPLEX.

Vnus in appetitu sensitiuo est, qui ho-

qui hominem huc & illuc rapit. Alter est in ratione, qui docet et explanat, quid faciendum fugiendumúe sit.

Corporis affectus est, qui sensus externos mouet.

Vt { Color / Sonus / Odor / Sapor / Humidum } mouet { Visum. / Auditum. / Olfactum. / Gustum. / Tactum. }

☞ Quarta species, forma est et figura, quæ differunt: Nam Figura est collatio partium, vt in triangulo. △

Forma autem est species & pulchritudo figuræ, quæ ex collatione emergens, cadit sub sensum vnde formosi & deformes dicuntur. In hac figura autem specie nomina ædificiorum reponuntur, vt templum, palacium,

um, curuum, rectum, fastigiatũ, semirectum, erectum.

APPENDIX.

Similitudo oritur ex Qualitate, æqualitas autem aut inæqualitas ex quantitate.

QVID EST RELATIO?

Relatio est mutua rerum collatio. Vt,

Pater	*confertur cum*	*filio.*
Dominus		*seruo.*
Cõsitus locus		*inculto.*
Iuuenis		*sene.*
Aequale		*inæquali.*
Simile		*dissimili.*

Finire nomina Relationis non est difficile, Nam illorum definitio est Ethimologica, vt, Pater dicitur qui habet filium. Creditor, qui pecuniam credit: Debitor, qui debet: Locator, qui locat domum: Conductor, qui conducit domum.

Quid

QVID EST ACTIO?

Actio est applicatio agentis ad patiens, vt Calefactio ignis, est applicatio ignis ad aquam quæ calefacit.

QVID EST PASSIO?

Passio est applicatio patiẽtis ad agens. Vel est affectus actionis: vt, calefactio aquę, est applicatio aquæ ad ignem.

QVID EST VBI?

Vbi, est notatio loci, & comprehendit discrimina locorum, quę sunt, superius, inferius, dextrum, sinistrum: Anticum, posticum.

QVID EST QVANDO?

Quando comprehẽdit tempus et partes temporis, præsens, preterium, futurum, heri, cras. &c̃.

SITVS QVID EST?

 Situs

Situs est, cùm totius corporis, tum partis dispositio, vt, stare, sedere, iacere, cubare, supinum esse, pronum esse.

HABITVS QVID EST?

Habitus, hic significat rationem vestiendi, & comprehendit nomina vestium, vt tunicatum, palleatum, togatum, ocreatum, caligatum, galeatum, pileatum.

VSVS PRAEDICAMENTORVM.

Vsus Prædicamentorum est magnus: Nam inprimis thematis simplicis in medium propositi definitioẽm perscrutaturus, ad hos generales rerum ordines ceu ad sacram anchoram confugies, & hinc definitionem thematis expromes.

Fabius Quintilianus, Substantiam, Qua-

tiam, Qualitatem, Quantitatem, et Relationem, ad status Rhetoricos pertinere scribit: Nam proposito themate simplici, per hæc quatuor Prædicamenta, illud tractandum putat. Adeò vt primò dicas de Substantia, id est, quid sit, vt, Quid sit iusticia? est virtus reddens vnicuiq; quod suum est. Deinde, quanta sit res, id est, in quot partes diuidatur: Sic duplex erit iusticia, Ciuilis et Diuina. Terciò, qualis sit res, qualitas'ne sit vel animi vel corporis, vtilis'ne sit. Quartò, habeat'ne res ista mutuum cum alia re respectum: sic iusticia confertur cum iudice.

Alia verò sex Prædicamenta ad certos argumentorum locos referuntur, vt, Prædicamentum Agere

Agere, eò facit vt intelligamus, ſciens'ne cõmiſerit quis aliquid, an inſciens: neceſsitate vrgente, an caſu. Aut quo inſtrumento quis quid fecerit. Gladio'ne an ſecuri: quo geſtu ſeu impetu.

Pati, huc reſpicit, cùm quis ſe indigna paſſum, grauiter lętum, iniurijs oneratum, conquiritur.

Vbi, huc facit, quo loco quis hoc vel illud commiſerit, an in cœtu populi, aut domi, tẽplo'ue.

Quando, huc facit, quo tempore quid factum ſit. Sic grauius punitur factum, quod die ſacro commiſſum eſt. Huc etiã facit, in quam ætatem quodlibet cadat. Terentius. Amauit dum ætas tulit.

Situs, præbet etiam argumentum, vbi hoc vel illud ſit factũ, an in

loco plano vel hirto. Sic loca et vrbes à ſitu commẽdant.

Habitus, ſuppeditat argumẽta Vergilio 4 Æneid: vbi deſcribit Didonis profectionem ad Æneam, venandi cauſa.

Tandem progreditur magna ſtipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata lymbo:
Cui pharetra ex hũero, crines nodãtur in aurũ,
Aurea purpuream ſubnectit fibula ueſtem.

Item 1 Æneid.

Cui mater media ſeſe tulit obuia ſylua,
Virginis os habitumq; gerẽs & uirginis arma.

Habes iam carptim tractatas quinq; Prædicabiles voces, quæ ab alijs vniuerſalia vocantur, ac decem Pr ędicamenta, ex quibus omnibus ars diſſerendi naſcitur, hoc eſt, Definitiones, Diuiſiões, et Argumentationes. Reſtat vt ſingula breuiter explicentur.

De Defi-

DE DEFINITIONE.

QVID EST DEFINITIO?

Definitio, est oratio, quæ nominis & rei vim ostendit. Nominis, vt Cicero primo Officiorũ definiens nomen fidei dicit: Fidem appellatam esse, quia creditur. Definitio Rei constituitur ex Genere & Differentia, vt Homo est animal præditum ratione. De legibus Definitionum inferius percipies.

DE DIVISIONE.

QVID EST DIVISIO?

Diuisio, est Generis in Species per differentias diductio. Qui enim benè distinguit, benè docet. Sine Diuisione Plato affirmat, nihil certò neq; intelligi, neq; explicari posse. Itaq; Socrates in

tes in Phædro ait: Si quem diuidendi peritum inuenerit, eius se vestigia tanquam Dei sequi solere.

QVATVOR SVNT DIVISIONIS SPECIES.

Vocabuli in significata, Vt canis, aliâs piscem, aliâs sydus cœleste, aliâs animal domesticũ significat: quod trifariam diuidimus.

Generis in Species, idq; per differentias, vt animal diuiditur in hominem & bouem, per rationale & irrationale.

Totius in partes, vt Corpus hominis totum diuidimus in caput, ventrem, pectus, pedes, manus, & hæc vocatur Partitio.

Subiecti in Accidentia, vt, Scholasticorum alij sunt studiosi, alij

ſi, alij nebulones. Definitio i-gitur & Diuiſio explicat voces ſimplices: at compoſitas ſeu pro-poſitiones, argumenta tractant. Quare de Propoſitiõibus et Ar-gumentationibus attentè leges.

DE PROPOSITI-ONE.

QVID EST PROPOSITIO?

Propoſitio eſt oratio verum uel falſum ſignificans.

VTILITAS PROPOSI-TIONIS.

Vtilis eſt Propoſitio in omni ſcriptorum genere.

PARTES PROPOSITIO-NIS DVÆ.

Subiectum, eſt de quo ali-quid dicitur, vt homo.

Prædicatum eſt, quod de ali-quo prædicatur, vt bulla.

Propo-

PROPOSITIO SECVNDVM Subſtantiam eſt Duplex.

Cathegorica, latinè prædica-toria vel accuſatoria dicitur: cõ-ſtat ex nomine & verbo, vt ho-mo viuit.

Hypotetica, latinè ſuppoſito-ria vel conditionalis dicitur: cõ-ſtat ex duabus Cathegoricis, per Coniunctionem copulatiuam, vt, Omnia amicorum ſunt ęqua-lia, & amicitia eſt æqualitas.

HYPOTETICA PROPOSITIO EST TRIPLEX.

Conditionalis, quæ non purè ſed conditionaliter aliquid enũ-ctiat, vt ſi dies eſt, ſol ſuper ter-ras eſt.

Copulatiua, Homo eſt ani-mal rationę prędítum, et bos eſt animal brutum.

 Diſiun-

Disiunctiua, Aut malum est voluptas, aut bonum.

PROPOSITIO SECVNDVM Qualitatem est Duplex

Affirmatiua, quando prædicatum affirmatur de suo subiecto, vt homo est animal ratiōale.

Negatiua, quando prædicatū negaт̃ de suo subiecto, vt, Homo non est animal rationale.

PROPOSITIO SECVNDVM Quantitatem est Quadruplex.

Vniuersalis, Particularis, Indefinita, & singularis.

☞ Vniuersalis, cui iuest particula vniuersalis, sicuti sunt: Omnis, Nemo, Nemo nō, Quis non, Nihil non. Quantum. vt, Quantum est hominum? id est, omnes homines. Quicquid, vt, quicqd erat copiarum, id est, omnes copias. Item, Quædam Prouerbia sunt Propositiones vniuersales,

vt illud, Miscebis sacra prophanis, id est, omnia confundes. Omnes homines melius esse sibi malunt, quàm alteri.

☞ Particularis, cui inest particularis particula, ut sunt, Quidā, Quædam, Aliquis, Plerique, vt, Pleriq; homines non prius sapiunt, quàm accepto malo.

☞ Indefinita, quæ nullo signo est circumscripta, vt Magistratus sunt honore afficiendi.

☞ Singularis, in qua est Indiuiduū, vt Milo iure Clodium occidit. aut, hic est filius meus dilect9

APPENDIX.

Modi quærendi de supradicta propositionis diuisiōe sunt tres: Quæ, Qualis, & Quanta. Quæ de Substantia querit: Qualis de Qualitate: Quanta, de Quantitate Propositionum.

MATERIA PROPOSITIONVM.

Materia Propositionum, est respectus prædicati ad subiectum.

QVÆ EST TRIPLEX.

☞ Naturalis, Cùm prædicatū est de natura subiecti, vel proprium eius, vt homo est animal, homo est visibilis.

☞ Contingens, Cùm prædicatum potest esse & abesse subiecto, præter eius corruptionem, vt, Homo est albus, Homo est Musicus.

☞ Remota, quando prædicatum non potest conuenire subiecto, vt homo est asinus.

Cognitio istarum propositionū parit iudicium, Necessaria enim fidem & scientiam, Contingentia opinionem & coniecturam, pari-

pariunt. Pugnantia verò sicuti naturæ ita artis quoq; harmoniam dissoluunt.

DIFFERVNT ISTA.

☞ Scientia, est assensus firmus, habensdemonstrationes ratiōis.

☞ Opinio, est assensus firmus, non habens demonstrationes.

☞ Fides, est assensus firmus erga promissionem diuinam, sine demonstratione rationis, in authoritate verbi Dei aquiescens.

☞ Demonstratio, est probatio necessaria & certa ex principijs collecta.

☞ Principia sunt notitię diuinitus insitæ in natura quæ nobiscum nascuntur, & quibus omnes sani naturaliter assentimur, vt, Omne totum maius est sua parte.

SCIENTIA DIFFERT AB ARTE.

Scientia est, quatenus inquirit demonstrationes rationis.

Ars verò, cùm ad vsũ refert. Notitia autem est rei simplicis, puta dictionis aut complexi seu compositi, nempe propositiõis.

PVGNA SEV OPPOSITIO PROPOSITIONVM.

Pugnantia seu oppositio Propositionum est eiusdem subiecti & prædicati, binarum in qualitate & quantitate, vel in harum singulis pugnantia.

PVGNA PROPOSITIONVM est Quadruplex.

☞ Contraria, quando duę propositiones vniuersales eiusdem subiecti & prædicati, altera affirmatiua, altera negatiua pugnãt. Vt, Om-

Vt, Omne animal spirat, Nullũ animal spirat.

Natura contrariarũ hæc est, quòd nunquam possunt esse simul veræ, licet in contingentibus possunt esse simul falsæ. Vt, Omnis homo pius, Nullus homo pius.

☞ Subcontraria, quando duæ particulares sola qualitate pugnant, vt, Quoddam animal spirat, Quoddam animal non spirat.

Natura harum est, quòd nũquam possunt esse simul falsæ, licet in contingentibus simul ueræ accidere possunt, vt, quidam homo est Orator, Quidam homo non est Orator.

☞ Contradictoria, quãdo duæ Propositiones eiusdem subiecti

 et præ-

et prædicati, Qualitate & Quãtitate pugnant, vt ſunt, Vniuerſalis affirmatiua & particularis negatiua, aut contra.

Natura harum eſt, Quo'd ſi vnum eſt verum, alterum ſit falſum, vt, Plato diſſerit, Plato non diſſerit.

☞ Subalterna, Particulares sũt ex vniuerſalibus collectæ, vt, Omnes homines ſpirant, Quidam homines ſpirant.

QVÆ PVGNA SIC IN FIGVRAM REDIGITVR.

Omne animal ſpirat.	*Contrariæ.*	*Nullũ animal ſpirat.*
Subalternæ	*Cõtradictoriæ* / *Cõtradictoriæ*	*Subalternæ*
Quoddam animal ſpirat.	*Subcontrariæ.*	*Quoddã animal nõ ſpirat.*

Vſus pugnãtium Propoſitionũ valet

valet ad Confirmationes, ſit enim manifeſtum nobis, quæ inter ſe diſsident nunquam. Valet etiam ad refutationes, vt poſsimus aduerſario obijcere, pugnãtia ab illo in medium eſſe producta, proinde eius dicta nullius momenti eſſe. Sed cõuerſio Propoſitionum vtilis etiam eſt ad multa, quæ eſt ſubiecti in prædicatum commutatio, quæ tibi ex alijs cum æquipolentiarum canonibus patebunt.

MODALIS PROPOSITIO.

Modalis Propoſitio appellatur, quæ effertur, per

Poſsibile	Impoſsibile,
Contingens	Neceſſarium,
Verum	Falſum,
Vtile	Inutile,
Facile	Difficile,

Certum	Incertum,
Consuetum	Insuetum,
Iucundum	Iniucundum,
Decorum	Indecorum.

Vt,

Posibile est Turcam tota Vngaria expulsurum esse.
Facile est disertam causam vincere.
Difficile est aduersus stimulum calcitrare.

ARGVMENTATIO, GRÆCE SYLLOGISMVS.

Argumentatio, est oratio in qua quibusdam positis & necessis, necesse est aliud euenire per ea quæ posita sunt. Id est, Est oratio, in qua positis duabus Propositionibus necessario sequitur Conclusio. Argumentari enim nihil aliud est, quàm aliud ex alio osten-

lio ostendere, hoc est, ex Propositionibus Conclusionem colligere, vt statim patebit.

PARTES SYLLOGISMI SVNT.

Duæ Propositiones:
Conclusio.
Tres termini: Id est, voces seu appellationes, è quibus Syllogismi conficiuntur.

DECLARATIO.

☞ Prima Propositio Maior vocatur, quia est sententia quædam communis, in qua Argumenti cardo vertitur, vocatur Iudicatum aut Firmamentum.

☞ Secunda Propositio Minor vocatur seu negocium, id est, Causa, de qua controuersia est orta.

☞ Conclusio, est Propositio appro

approbata duabus Propositio-
nibus, hæc vocatur ſtatus.

DECLARA TRES TERMINOS.

☞ Maior terminus eſt qui po-
nitur in maiori proloquio extra
medium.

☞ Minor terminus, qui poni-
tur in minori proloquio extra
medium.

☞ Medium autem eſt termi-
nus, qui ſumptus in duobus pro-
loquijs non ſumitur in Conclu-
ſione. Nam Medium à Conclu-
ſione arcetur.

CVR MEDIVS TERMINUS Medium uocatur?

Quia in eo alij duo termini iun-
guntur, puta Maior & Minor.

DECLARA EXEMPLO.

Quic-

Quicquid appetitur eſt bonum,
Voluptas appetitur. Igitur
Voluptas eſt bonum.

Ecce vides quomodo verbũ
appetitur eſt Terminus medius,
in quo alij duo termini iungun-
tur, nempe bonum & voluptas:
Ergo bona eſt Argumentatio,
iuxta illam Regulam Dialecti-
corum:

☞ Si duo cuidam tercio con-
ſentanea ſunt, int' ſe cõſentanea
eſſe dicimus, & ratiocinationem
conſentaneã eſſe affirmamus.

Scies facile componere Syl-
logiſmos, cognita prius Figura
et Modo.

FIGVRA ET MODVS SYLLOGISTICVS.

Figura eſt apta Medij termini
collocatio in duobus ꝓloquijs.

Modus

Modus est apta dispositio Propositionum in ipsarum Quantitate & Qualitate.

Hîc obserua tres Regulas, & postea vocabl'a artis Dialecticę.

PRIMA REGVLA.

☞ Ex puris particularibus propositionibus nihil sequitur.

SECVNDA REGVLA.

☞ Ex puris negatiuis nihil certi colligitur.

TERTIA.

☞ Si aliquod proloquium in Syllogismo fuerit particulare aut negatiuum, Conclusio etiam erit particularis & negatiua.

VOCABVLA ARTIS.

A. notat vniuersalem Propositionem affirmatiuam.

E. notat vniuersalem negatiuã.

I. Particularem affirmatiuam.

O. Particularem negatiuam.

Figuræ

FIGVRÆ SYLLOGISTICÆ SVNT TRES.

PRIMA FIGVRA.

Prima Figura, est ratiocinatio, in qua Medium in maiori proloquio subiecti loco: in minori prædicati loco ponitur.

MODI PRIMÆ FIGVRÆ SVNT QVATVOR.

☞ Fac igitur Syllogismum in prima figura & modo primo. Scias autem nullum esse vsum aliarum literarum in Modis, nisi vocalium tantum.

Bar Omne malũ est fugiẽdum,
Ba Omne homicidiũ est malum. Ergo
Ra. Omne homicidium est fugiendum.

Ce Nullum animal est lapis.
La Omnis hõ est anĩal. Ergo
Rent. Nullus homo est lapis.

Da Omnes sediciosi iure pu-
niuntur.
Ri Catilina fuit sediciosus.
Ergo
I. Catilina iure punitus est.

Fe Nullus Magistratus iurè
occiditur.
Ri Caius Cęsar fuit Magistra
tus. Ergo
O. Caius Cæsar non est iurè
interfectus.

SECVNDA FIGV-RA.

Secunda Figura est, in qua Me-
dius terminus tum in minori ꝓ-
loquio prędicati locum sibi ven-
dicat.

MODI SECVNDÆ FIGVRÆ SVNT QVATVOR, Sed Negatiui.

Ce sa re.

Ce Non est infringēdū quod
Deus edixit,
Sa Omnes parētes honore af-
ficiēdos Deus edixit. Ergo
Re. Honor parentum non est
infringendus.

Ca Omnis Christianus credit
se per Christum seruari.
Mes Nullus Iudæus credit se ꝑ
Christum seruari. Ergo
Tres. Nullus Iudæus est Chri-
stianus.

Fes Nullus auarus est Chri-
stianus.
Ti Theologi sunt Christiani.
Ergo
No. Theologi non sunt auari.

Ba Omnes qui ex Deo sunt
verbum Dei audiunt.
Ro Iudæi verbum Dei non

audiunt. Ergo
Co Iudęi non ſunt ex Deo.

Huius Figurę eſt magna vtilitas in Cauſis coniecturalibus, aut deliberatiuis. verbi cauſa, Vt ſi deliberatio ſit, an linguarum ſtudia ſint excolenda, deliberationem hoc Syllogiſmo expedies, ſic ratiocinans.

Omne illud non eſt omittendũ
quod verum Dei cultũ auget.
Linguarum ſtudia verum Dei
cultum augent. Ergo
Linguarum ſtudia non ſunt omittenda.

TERTIA FIGVRA.

Tertia Figura eſt, in qua Medium vt in maiori ita in minori ꝓloquio ſubiecti loco ponitur.

HÆC HABET SEX MODOS.

Da rap ti.

Da Quicũq; plurimum cupit pauper eſt.
Rap Quicunq; plurimum cupit auarus eſt. Ergo
Ti. Auarus aliquis pauper eſt.

Fe Nulla virtus fugienda eſt.
Lap Omnis virtus labore paratur. Ergo
Ton. Labor aliquis fugiendus non eſt.

Di Nonnullæ voluptates turpes ſunt.
Sa Omnis voluptas delectat.
Mis. Quædam igitur quæ delectant turpia ſunt.

Da Omnis voluptas delectat.
Ti Quędã uoluptas turpis eſt
Si. Turpe igitur aliquod delectat.

 Bo car

Bo Quędam voluptas non est licita.
Car Omnis voluptas est suauis in sensu motus. Ergo
Do. Quædam suauitas sensus non est licita.

Fe Nulla turpitudo est legibus comprobanda.
Ri Quædam turpitudo est secundum naturam. Ergo
Son. QVædam Naturalia non sunt legibus approbanda.

Hactenus Syllogismus perfectus tractatus est, Nunc reliquę Argumentationum species sunt ordine considerandæ, maximè frequentes.

PRIMVM EST.

Enthymema, latinè commentũ, et constat ex maiori proloquio cum

cum Conclusione, & ideo vocatur mutilatum argumentum, vt,

EX MAIORI.

Veneficus est damnandus. Ergo Cælius iurè damnatur.

EX MINORI.

Cælius est veneficus. Ergo Cælius iure damnatur.

Prima pars Enthymematis vocatur Antecedẽs, Altera pars Consequens dicitur.

SECVNDA SPECIES ARGVMENTATIONIS.

Inductio, quando ex multis singularibus probatur vniuersale, vt Iustitia, Prudẽtia, Fortitudo, Liberalitas veniunt honesti appellatione. Ergo omnis virtus moralis honesti appellatione venit. Græci hanc ratiocinatiõem vocant ἐπαγωγὴν.

TERTIA SPECIES ARGVMENTATIONIS.

Exemplum, quod Græci vocãt παράδειγμα, Est argumentatio in qua vnum ex alio propter mutuum quendam consensum, atq; similitudinem inductionis more colligitur, vt si proponas viri fortis esse officium, tueri constãter patriam contra insultus hostium, statim venit tibi in mentem Cocles ille apud Liuium in ij lib: ab vrbe condita, Qui arcẽdo hostes, in Tyberim præcipitem se ex ponte dedit, ac incolumis ad suos tranauit: quo quidẽ exemplo ac alijs exemplorum dictis, Sententijs, Parœmijs, Allegorijs, Parabolis, Apologijs cohortari & persuadere aliquid posis.

QVARTA SPECIES ARGVMENTATIONIS.

Coaceruatio, quando res eiusdem Prædicamenti ceu gradatione coaceruantur, vt, quod quercus est, arbor est: quod arbor est, substantia est.

☞ Sunt aliæ multæ Argumentationes, quarum duas subijciam oculis tuis.

PRIMA EST.

Complexio, in qua vtrum concesseris reprehenditur, vt, Aut legisti poëtas aut non legisti. Si legisti cur me legentem poëtas accusas? Si non legisti, cur quæ non legisti, damnas?

SECVNDA ARGVMENTATIO EST

Violatio, In qua ex aduersariorum ratiõe, non id quod ipsi vo-

ſunt,ſed quod pro nobis eſt, ſe-
qui demonſtramus.

☞ Hac ſpecie vtimur in Con-
futatiõe: Vt ſi quis diceret, Iuris
candidatum, à lectione poëtarũ
pariter & Oratorum oportere
abſtinere. Et rationem adferet
iſtam, Quia hi tantum ad lin-
guam expoliendam faciunt.
Nos impugnabimus dicendo:
Imò verò hoc nomine, Iuris ſtu
dioſus, tam poëtas quàm Orato-
res diligentiſsimè leget, quòd hi
ad cultum linguę qua Iuriscon-
ſulto cumprimis vtendum eſt,
conferunt.

OCCVRrunt ſæpenumero vi-
tioſę Argumentationes, quas di-
ſces facile ex alĳs, propter euitã-
das fallacias. Hîc tibi tres pono.

PRIMAM IN DICTIONE.

Iſte pannus eſt de Anglia.
Anglia eſt terra. Igitur
Iſte pannus eſt terra. Item.
Deus eſt vbiq;.
Vbiq; eſt Aduerbium. Igitur
Deus eſt Aduerbium. Item.
Quicquid ridet habet os,
Pratum ridet. Igitur
Pratum habet os.

SECVNDAM IN ACCENTV.

Omnis popŭlus eſt arbor.
Gens eſt popūlus. Igitur
Gens eſt arbor.

TERTIAM IN ORATIONE.

Tu es qui es.
Quies eſt requies. Igitur
Tu es requies.

Hæc Ariſtoteles in ſuis fallacĳs
diligenter complexus eſt, et Phi-
lippus.

DE LOCIS ARGVMENTORVM.

Locus est sedes Argumentorũ. Argumentum, est oratio quæ rei dubiæ facit fidem.

DVPLICES SVNT LOCI.

Quidam sumuntur à Personis, quidam à Rebus.

A' PERSONIS.

LOCVS A' GENERE.

Parente optimo natus est, proinde non est verisimile vt hoc crimen in eum cadere possit.

A NATIONE.

Huic nationi ij proprij sunt mores, Igitur sequitur nationem.

A PATRIA.

Ille est Romanus, Ergo homo forti ingenio præditus est.

AB ÆTATE.

Ille puer est, Ergo nequaquam potuit

potuit homicidium cõmittere.

A SEXV.

Facilius latrocinium in viro, veneficium in fœmina.

AB EDVCATIONE & disciplina.

Optimè educatus & institutus est, Igitur & honestißimus & studiosißimus est.

AB HABITV CORPORIS.

Cicero pro Roscio argumentatur sic. Nonne ipsum caput & supercilia illa poenitus abrasa olere maliciam & clamitare calliditatem vidẽtur. Qui iccirco est capite & supercilijs rasis, ne vllũ pilum boni viri habere dicatur.

A' FORTVNA.

Peregrinus est, Igitur minus potens.

A' CONDITIONE.

Est claro genere ortus, Igitur præclara facta facit. Sunt alij multi

multi loci perſonarum, de quibus Cicero in Topicis, & Rodolphus.

LOCI A' REBVS SVMPTI.

A DEFINITIONE.

Animal rationale eſt, Igitur homo eſt.

LEGES DEFINITIONVM SVNT TRES.

☞ Primò, Definitio neq; plura neq; pauciora quàm definitũ complectitur, ſed de quocunq; vnum dicitur, dicitur & alterũ.

SENSVS ISTIVS LEGIS EST lucidior in exemplo poſito.

Vt ſi Iuris prudentiam ita finias: Eſt ſcientia diuinarum & humanarum rerum, hîc plura finitio complectitur quàm definitum. Quomo-

Quomodo plura.

Nam Iurisprudẽtia nihil tradit de rebus diuinis, ſed tantum de rebus ciuilibus tradere ſolet. Ergo ſuperfluè additur finitioni, diuinarum rerum ſcientia.

Quomodo pauciora.

Vt ſi diſcordiam ita finis: Diſcordia eſt bellum. Hæc definitio pauciora cõplectitur quàm definitum. Nam diſcordia non eſt ſimplex bellum, ſed eſt motus ciuium aduerſus magiſtratus.

☞ Secundò, Quid ſit res, Id eſt, eſſentiam rei explicato.

☞ Tertiò, aperta eſto, voces ambiguæ, obſcuræ, à longinquo tranſlatæ, à Finitione abſunto.

AB ETHIMOLOGIA.

A' Iuſticia nomen obtinetis Iudices: quare proſpicite vt iuſta cenſeatis in iudicijs.

A'ma-

A MATERIALI CAVSA.

Vapor terræ ſurſum eleuatur, Igitur hymbrem facit.

A FORMALI CAVSA.

Rotundum eſt vas, Igitur volubile.

A FINALI CAVSA.

Domus conſtructa eſt gratia tuendi ſe ab iniurijs cœli, Igitur nos in ea continebimus.

AB EFFICIENTE CAVSA.

Extructor fuit egregius, Igitur ab eo facta eſt domus artificioſa.

A GENERE AD SPECIEM argumentari non poſſumus affirmatiuè, vt, Bellum eſt, Igitur tumultus eſt, poteſt enim bellũ eſſe ſine tumultu.

A SPECIE AD GENVS.

Iuſticia eſt, Igitur virtus eſt.

A DIFFERENTIA.

Si ratione caret, Homo non eſt.

A pro-

A PROPRIO.

Si iuſticia eſt ſuum cuiq; tribuere, Hic ſuum cuiq; tribuit, Ergo iuſtus eſt.

A TOTO AD PARTES.

Si tota Respublica conſilio gubernanda eſt, Ergo & domus & vnusquisq; Ciuium.

A CONTRARIIS.

Terra humida eſt, Ergo ſicca eſſe non poteſt.

A PRIVATIONE.

Mutus eſt, Igitur non loquitur.

A CONIVGATIS.

Fortiter agit, Ergo fortis eſt. Terenti: Homo ſum nihil à me alienum eſſe puto.

AB ADIVNCTIS.

Amat, Ergo ſolicitus. Res enim ſolliciti eſt plena timoris amor. Nam amor & ſolicitudo, adiuncta ſic ſibi ſunt, vt vnum abſq; altero eſſe non poſsit.

A ſi-

A SIMILIBVS.

Si abſtinentia virtus eſt, Igitur et continentia.

SVNT ETIAM ALII LOCI SIGNORVM, ſcilicet

A' Loco. A' Tempore. Ab Occaſione. A' ſpe perficiendi aliquid. A' Commodo. Qui valent ad probandum factum vel infringendum.

LOCI HYPOTETICI.

A CONDICIONALI.

Si Iuſtitia eſt, virtus eſt. Sed Iuſticia eſt, Igitur virtus eſt.

A COPVLATIVA.

Et Iuſtitia eſt & Pietas eſt, Sed Iuſticia eſt, Igitur pietas.

A DISIVNCTIVA.

Aut Prudentia eſt, aut Continẽtia, Sed Prudentia non eſt, Igitur Continentia eſt.

Iis præceptimentis cognitis facilius ad ſequentia peruenies.

Rhe-

RHETORICÆ VESTIGIVM.

MARCVS CIcero in Oratore ad Brutum inquit, Dialecticam finitimam eſſe Rhetoricæ: Nam Dialectica nudam cauſam breuibus verbis & tanquam punctis deſignat: Rhetorica autem addit elocutionem rebus à Dialectica inuentis, quas veſtit ſicuti ornamentis verborum & ſententiarum. Quare neceſſarium eſt, vt Præceptis Dialecticæ cognitis, Rhetorica quoq; adiungantur: quæ nihil aliud in ſe cõtinent, niſi eas Regulas, per quas diſcentes adſpirare poſſunt ad eloquentiam. Eloquentia autem eſt, facultas ſapienter loquendi,

 et or-

et ornatè dicendi. Rhetorica verò, Eſt ars quæ docet viam ac rationem rectè et ornatè dicẽdi.

OFFICIVM ORATORIS.

Oratoris officium eſt, vt appoſitè dicat ad perſuaſionem, Hoc eſt, vt doceat, moueat & delectet auditorem.

QVINQVE SVNT PARTES quibus paratur perſuadendi facultas.

Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, & Pronunciatio.

QVID EST INVENTIO?

Eſt rerum verarum aut veriſimilium excogitatio, quę cauſam probabilem reddant.

ET HÆC HABET PRÆCIpuas ſuas quatuor cauſas.

Exordium, Narrationem, Confirmationem, & Concluſionem.

1. Exordium, eſt præcipuum orationis, per quod animus auditoris aut iudicis apparatur ad audiendum.

IN EXORDIO TRIA SPECTANTVR.

Beneuolentia, Attentio, & Docilitas.

Beneuolentia, quando beneuolos facimus eos apud quos ſumus dicturi.

Attentio, quando attentos facimus auditores, vt diligẽter ab ijs audiamur.

Docilitas, quando reddimus dociles auditores, vt intelligãt hoc, de quo ſumus dicturi.

2. Narratio, eſt rerum geſtarum aut perinde vt geſtarum expoſitio.

IN NARRATIONE TRIA SPECTANTVR.

Primò, vt ſit breuis, & tunc fit, quando breuiter aut ſummatim rem narramus.

Secundò, vt ſit lucida, & fit, dum ordine rem ita vt ſit geſta, narramus.

Tertiò, vt ſit veriſimilis, & fit, quando ſic narramus, vt mos, opinio, naturaq́; rei poſtulat.

3. Confirmatio, eſt noſtrorum argumentorum cum aſſeueratione expoſitio.

IN CONFIRMATIONE ſpectantur loci hi præcipuè qui ſequũtur.

Primò, Honeſtum quod virtutes complectitur.

Secundò, Vtile, quod rem aliquam eſſe vtilem demonſtrat.

Tertiò, Facile, quod facilem

rem demonſtrat.

Quartò, Difficile, commemorat pericula.

Quinto, Poſsibile etiam ac impoſsibile adiungũtur ad Confirmationem.

APPENDIX.

A' ſtatibus etiam Confirmationes petuntur. Status autem nihil aliud eſt, niſi primaria ſententia de qua propriè eſt controuerſia: vt, Milo Clodium iure occidit.

TRIPLEX EST STATVS.

Coniecturalis, In quo coniectura valet.

Finitiuus, In quo definitio valet.

Iuridicialis, In quo ratio valet.

4. Concluſio, eſt artificioſus terminus orationis.

IN CONCLVSIONE TRIA SPECTANTVR.

Primò, Amplificatio, dum per cohortationem auditoris animū ad indignatiōem concitamus. Secundò, Enumeratio, quando ordine certo colligimus ea de quibus priùs verba fecimus, à Confirmatiōe initiū ſumentes. Tertiò, Conqueſtio, dum auditoris animum ad miſericordiam mouemus.

QVID EST DISPOSITIO?

Eſt ordo & diſpoſitio rerum, quæ demonſtrat quid quibusq; locis ſit collocandum.

IN DISPOSITIONE DVÆ Partes ſpectantur.

Vna ab arte proficiſcitur, altera ad tempus accommodatur.

Quæ autem pars manat ab Arte, quatuor vel ſex partiū orationis ordinem ſeruat, ita vt

primo loco conſtituas Exordium, à ſecundo Narratiōem, tertio Confirmatiōem, in extremo loco Concluſionem. Sæpius autem Narrationem ſequitur Propoſitio: Confirmationem Confutatio, ſi poſtulat neceſsitas.

Quæ verò pars ad Tempus accommodata eſt, à Narratione vel firma aliqua Argumentatione principium orationis ſuæ cōſtituit. Vt eſt apud Ciceronem, pro Marcello in Oratiōe. Propoſitio etiam loco Narrationis ſæpe ponitur in Orationibus.

QVID EST ELOCVTIO?

Elocutio eſt idoneorum verborum & ſententiarum ad Inuentionem accommodatio.

IN ELOCVTIONE DVO SPECTANTVR.

Primò, Verba, vt latinè, dilucidè, ornatè, & aptè dicamus de omnibus rebus.

Secundò, Sententiæ, vt optimis sententijs illud quod inuenimus vel disposuimus, exornemus per figuras aut amplificationes.

APPENDIX.

Elocutionis est triplex Forma seu Character.

Primò, Grandis, qui magna ex parte proprio sermone constat, & Metaphoras crebriores et longius petitas adsciscit, copiosè amplificat adhibitis omnibus figuris, & quasi de industria ostentat ornatum. Liuius & Cicero pro Milone, & in Verrinis hoc Charactere est vsus.

Secundò, Mediocris, qui medium

dium seruat, inter grande & humile genus dicendi. Hoc Cicero in Officijs et paradoxis suis vtit.

Tertiò, Humilis, qui non assurgit vltra quotidianam loquendi formam, seu consuetudinem. Sed tamen omnia tractat suo ordine, nec à Proposito discedit. Hoc Terentius, Cicero in Epistolis Familiaribus, Erasmus in suis colloquijs vtitur.

SVB ELOCVTIONE TRES FIgurarum ordines continentur.

Primus ordo ad verba pertinet.
Secundus ad Sententias.
Tertius ad amplificandas & augendas orationes, de quibus Petrus Moselanus in Tabulis.

QVID EST MEMORIA?

Memoria est firma animi, rerũ et verborum, dispositiõisq; perceptio:

ceptio: quæ quidem exercitatione & labore aſsiduo adiuuãtur. Hunc theſaurum (teſte Ioanne Chapuſio in libello de Memoria & Mente) auferunt hoſtes quatuor: Crapula, Venerea libido, Somnus, & Ocium,

QVID EST PRONVNTIATIO?

Pronuntiatio, eſt vocis, vultus, et geſtus cum venuſtate moderatio. Vox, vt ſit grandis, plena, non exilis aut exigua, lenis, non aſpera.

Vultus modeſtus, fauces integræ, molles & lenes.

Geſtus, debet eſſe ipſi voci accommodatiſsimus.

HACTENVS TRACTATÆ ſunt quinq; partes Oratiõis, quibus paratur perſuadendi facultas: re-

tas: reſtant Genera cauſarum, quæ punctim perſtringam.

Genera cauſarum omnium, tria enumerantur à Rhetoribus, ſub quibus alia Genera continẽtur.

☞ Primò, Genus Demonſtratiuum, quo continetur laus vel vituperatio, Rerum, Perſonarũ, Factorum.

☞ Secundò, Genus Deliberatiuum, quod verſatur in ſuadendo & diſuadendo.

☞ Tertiò, Iudiciale Genus, q̊d tractat controuerſias forenſes, aut in aliquos inuehitur.

Adiungunt alij quartum Genus, nempe Didaſcalicum, hoc eſt, Doctrinale, quo tũ vtimur, dum aut docemus, aut interrogamus, aut exponimus, aut diſſerimus de rebus: quod quidem magis

magis ad Dialecticum pertinet.

HVIVS AVTEM EXEMPLVM TALE ESTO.

Nactus es praeclaras ingenij dotes, tu vide ne tibi ipsi defuisse videaris: operepretium est, ut cum ijs verseris, qui te meliorem doctioremq; reddere possint. Neq; odiosũ est sero discere id, quod honestum est scire. Styllum igitur frequenter exerceas velim, quod fiet, si interdum sumpto themate, quacunq; de re scribas, vel oratiõe numeris astricta vel soluta. Interdum Graeca vertas latinè, aliquando latina Graecè: et iam solutam orationẽ in Carmen redigas: iam carmen pedestri oratione decurrere facias. Saepe etiam cum aequalibus aut doctio-

doctioribus disputabis, & nunc tua argumentis asseuerabis: nũc alterius dicta impugnabis. In vniuersum, in serijs aequè ac ludicris, bonas literas meditaberis. Vide tamẽ ne plus literis, quàm morum vrbanitati & comitati studuisse videare. Ita fiet, vt sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares, vt ait Simo Terentianus. Coeterum quod ad lectionem spectat, velim ne te diuturna & varia lectiõe obruas: Idem enim hîc fieri debet, quod Medici de cibis praecipiunt: ne nos nimium ingurgitemus, sed ita edamus, vt aliquod edendi desyderiũ adhuc relinquamus. Memoriam autem ita exercebis, vt eorum quae legeris meminisse possis: quod fiet, si quae legeris, identi-

identidẽ abs te exigas. Equidem non ſum neſcius, non perinde iucunda eſſe ſtudia ijs, qui nõdum aliquos in eis ꝓceſſus effecerunt. Sic enim natura comparatũ eſt, vt quo præclarior, quo admirabilior, quo magis eſt res aliqua expetẽda: hoc aditus ad illã atq; ingreſsus ſit difficilior. Quẽadmodum magnarum arborum altitudo nos delectat, ſtirpes radiceſq; nõ item: ita in literarũ aut virtutũ ſtudijs progreſsiões voluptatem mirificam: initia verò primiq; introitus, aliqd laboris et moleſtię adferre conſueuerũt. Fac igitur, vt primo quoq; tẽpore, quantum in bonis literis profeceris, ſciam.

Vale.

Finis præceptionum Dialectices & Rhetorices.

ERRATA.

In quaterniõe A, folio 7, facie 1, pro Iuſima lege Infima. fac:2, uerſu 5, expũge ne. In quaterniõe B fo:2, fa:1, ꝓ cõcpitur le: cõcipitur. fo:3, fa:2, pro motus le: metus. In quatern: C, fo:1, fa:2, ꝓ iueſt le: ineſt. fo:8, fa:1, ꝓ nulium lege nullum. In quat: D, fo:8, fa:2, ꝓ præceptimẽtis le: præceptiũculis.


BIBLIOTH: UNIV:
JAGELLONICAE